

curi subjiciendus erat . Pax , sublatis undique hostibus ; Cretensibus reddit a est . Pacata insula , Joannes Dandulus , Paulus Lauretanus , Petrus Maurocenus , Joannes Fuscarenus , & Thaddæus Justinianus ad ejus statum recognoscendum , resque componendas missi . Ii , aliis noviter sancitis , locorum etiam munitorum quibusdam eversis , nonnullis instauratis , Anopolim , jussis colonis qui illic erant alio migrare , defolatam reddidere , proposito edicto , ut capitale esset , quicunque habitandi causa in id oppidum rediisset . Edictum etiam , ut nemo Lasithis ædificaret , nemo sereret . Rebellium multis qui sparsim insulam incolebant , partim capitali suppicio affectis , partim perpetuo exilio damnatis , antiquum ocium insulæ reddidere . Hunc exitum habuere temerarii Cretensium motus . Cornarius Princeps , quum annos duos ac menses octo Republicæ præfuisset , & jam grandis natu , humanæ necessitati concessit : in Gemellorum æde est situs .

Andreas Contarenus in demortui locum successit : qui præfigio quodam futurorum , aliquandiu oblatam dignitatem adire recusavit : concesseratque ob id ipsum in Patavinum agrum , ubi fundum habebat , tam diu urbe abfuturus , quoad nova alterius Ducis declaratio secuta esset . Sed quum neque publicis neque privatis literis in urbem retrahi posset ad dignitatem capessendam , cognatorum quidam ad eum ire jussi sunt , denunciantes , fore , si pergeret obstinate agere , ut paulo post (quando Patres interminati essent) publicatis bonis , ipse in exilium ageretur . Tum illum privato periculo motum cessisse ferunt , Venetasque venisse . Quod si verecundia accidit , fuit (quis non videt ?) exemplum illud apprime salutare : ne quis temere Rempublicam adire auderet , cui imprimis consultum velle debent , qui eam regendam capessunt , & quæ non tam nostra quam ipsius causa adeunda est . Etenim considerare oportet , eos qui publicos honores ambeunt , qui ipsi sint , quidve omnino præstare possint ; ac si se rei tantæ impares cognoverint , non sibi minus quam omnibus consuluisse sciant , qui oblata dignitate abstinent . Sed

1367

*Andreas
Contarenus
Dux crea-
tus ad ca-
pessendum
Ducatum
cogitur .*

hæc